THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT

Hall, 4. Jahrzehnt 15. Jh. (u.a. 1431, 1432 und nach 1438) und 1396/97 Seite 130r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35262
Copyright: Innsbruck, Prämonstratenser-Chorherrenstift Wilten

de rogacionibus et predicacionibus

Deinde rogamus vos et obsecramus in domino Ihesu Christo quatinus sanctissime
predicacionis officium in cuius operacione corda fidelium expiantur vicijs
et virtutibus muniuntur quodque idem dominus noster et salvator eciam ascensurus
in celum instituit dicens Ite in orbem universum et predicate etc cum
magna diligencia atque studio prout divinitus vobis fuerit inspiratum
cordibus fidelium alacriter effundatis
Eciam plebes vestras inducatis ut dies rogacionum observare studeant
prout antiquitus a sanctis patribus est institutum Eciam sub aliquibus pene
adiectione in usum fabrice ecclesie parrochialis convertende
Quo circa vos eciam omnes et singulos tam religiosos quam seculares
presbiteros nostre iurisdiccioni subiectos cuiuscumque status ordinis aut condicionis
extiteritis hortamur monemus et requirimus quatinus tam sacri Basiliensis
concilii quam eciam nostri huiusmodi statuta et decreta in presenti synodo
lecta et publicata devota veneracione suscepta diligenter et fideliter
observare moresque et vitam taliter reformare studeatis ut per hec alijs
Christi fidelibus presertim cure et gubernacioni vestre commissis imita=
bile exemplum prebere possitis ac digne et merito commendari
valeatis Et insuper in futura visitacione suo tempore per nos instituenda sic
reformati et emendati reperiamini quod exinde ad spem et gloriam
possitis pervenire sempiternam Ad quam vos perducat Ihesus Christus
dominus noster qui est in secula benedictus A · M · E · N

de publicacione statutorum et eorum copia habenda

Quod ut statuta non tradantur oblivioni nequisquam ignoranciam
valeat allegare sed ut subditi in eis possint frequencius meditari
sub excommunicationis pena precipimus et iniungimus omnibus abbatibus prepositis
prelatis decanis ac ecclesiarum rectoribus ut infra tres menses primum statutorum
et copiam totalem et plenam habeant et ea bis in anno de cetero ad
verbum Abbates et prepositi convocatis omnibus monachis et canonicis
regularibus Et prepositi seu decani ecclesiarum kathedralium et colle=
giatarum canonicis suis in unum collectis Rectores vero singuli ecclesiarum
divinorum cooperatoribus et capellanis suis in unum accersitis pub=
licent et perlegant in genere